

SCRIPTA

Numéro Scripta : 8205

Auteur(s) : Guillaume Pichart, de Tourouvre [particulier]

Bénéficiaire(s) : Soligny-la-Trappe, Notre-Dame de La Trappe (abbaye)

Bénéficiaire(s) : Feings, Le Valdieu-Réno (prieuré)

Bénéficiaire(s) : Eperrais, Chênegallon (prieuré)

Bénéficiaire(s) : Mortagne-au-Perche, Saint-Gilles (hôpital)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1248, juin

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Guillaume Pichart, de Tourouvre, dispose en faveur de l'abbaye de la Trappe d'une rente annuelle perpétuelle de vingt sous, à charge de célébration d'anniversaires pour lui et les siens par ladite abbaye ; il joint à cette donation d'autres libéralités en faveur de l'hôpital de Mortagne, des communautés du Val-Dieu et de Chêne-Galon, et de l'église de Tourouvre.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Charencey Hyacinthe (Comte de), *Cartulaire de l'Abbaye de Notre-Dame de la Trappe*, publié d'après le manuscrit de la Bibliothèque Nationale, Alençon, Renaut de Broise (Société historique et archéologique de l'Orne), 1889, p. « De bladis et decimis Sagiensi dyocesis », n° [XXXVII] (« Carta Guillelmi Pichart de Torto Robore »), p. 421-422.

Texte établi d'après a

Ego, Guillelmus Pichart, notum facio universis presentes litteras inspecturis quod ego, pro salute anime mee nec non et antecessorum et successorum meorum, videlicet patris et matris mee et ob nostra anniversaria facienda, Deo et monachis de Trappa contuli viginti solidos annui et perpetui redditus, ad faciendam annuatim pitantiam in die anniversariorum nostrorum, videlicet in crastino beati Andree apostoli ; hospitali juxta Maur[itani]am], ad faciendam pitantiam in predicta die anniversariorum, decem solidos ; Valli Dei X solidos ; Querqui (sic) Galonis decem solidos, et ecclesie de Josaphas decem solidos annui et perpetui redditus, ad faciendas predictis locis pitantias dicta die ; ad faciendam caritatem panis pauperibus, annuatim una vice, apud Tortum Robur, in die Veneris proxima post Penthecostem, qua die volui annuatim anniversarium apud Tortum Robur celebrari, quadraginta et tres solidos, in luminari et in oblationibus, duos solidos, per manum illorum qui predictos redditus in dictis locis persolvere tenebuntur. Hos dictos redditus assignavi percipiendos in medietaria mea de Poteria et habendos annuatim per manum Hugonis Piquart, fratris mei, tali modo, quod quicquid ultra et plus de predictis redditibus prenominata medietaria valuerit, eidem hoc do et concedo in perpetuum, dictas pitantias et prefatos redditus prefixis diebus, proinde ut faciat fieri anniversaria et pitantias annuatim in dictis locis et in dictis diebus, ut superius est expressum ; ita tamen quod, si dictus Hugo vel ejus mandatum supradicta sub dicta forma libere et quiete et pacifice

de omnibus rebus annuatim non reddiderint assignata in medietaria dicta, salvis tamen servitiis dominorum, eadem medietaria cum ejusdem pertinentiis abbati de Trappa qui pro tempore fuerit in perpetuum deveniet et remanebit, dictas pitantias et prefatos redditus sub dicta forma et servitia exinde debita faciendo, ita quod si abbas de Trappa predicta persolvere ut superius est expressum in aliquod defecerit, ministro Santi Eligii juxta Mauritaniam predicta medietaria, cum omnibus pertinentiis, in perpetuum deveniet et remanebit, predictos redditus et pitantias dicto modo annuatim persolvendo, exceptis servitiis dominorum debitis de dicta medietaria, sicuti se possidet cum vavasoribus et sicuti teneo et tenui de Roberto Leteri. Preterea ego et Hugo, frater meus, in quorum omnium testimonium et ad majorem supradictorum confirmationem, presentes litteras munimine roboramus sigillorum nostrorum, per quas heredes nostros ad eadem tenenda dicto modo fideliter volumus obligari. Actum anno gratie M° CC° quadragesimo octavo, mense junii.